FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG...

Franz Ernst Bruckmann



FRANC. ERNEST. BRÜCKMANNI,
MED. DOCT. &c.

EPISTOLA ITINERARIA XXXV.

SISTENS,

MEMORABILIA SEMPRONIENSIA,

AD

VIRUM NOBILISS. CLARISS. ATQUE DOCTISS. DOM.

DOMINUM

HENR. JACOBUM SIVERS,

PHILOSOPHIÆ MAGISTRUM ET REGIÆ PRUSSICÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS INCLYTÆ COLLEGAM CELEBRATISS.

FAUTOREM ET AMICUM CARISSIMUM



WOLFFENB. MDCCXXXIV.



VIR NOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME, FAVTOR ET AMICE PLVRIMVM COLENDE!

AN. 1723 die 29. Oct. Vienna Austriæ relicta, equo profecti sumus ad Prætorium, quod German: das Neue Gebäude, ceu diceres *Neocstichon*, & semper adhuc audit *nova domus*, licet jam plus quam centum annos numeret. Est arx imperialis, cum viridario, muro alto, in quo ad certas distantias hinc inde altæ turres, in quibus feræ efferæ & valde crudeles, ursi, leones, tigrides, &c quarum bestiarum catalogum si placet, evolve in Küchelbeckeri allerneuesten Staat von Wien p. 814. aluntur, cincta. Descriptionem arci, ut & figuram Ao. 1649. delineatam, vidimus in Matth. Meriani Topograph. Provinciarum Austriacar. p. 27. cum fig. it. confer. Tollius in Epist. itinerar. p. 106. Post hoc viridarium statim adest *Ebersdorffium*, 1. mill. Vienna distans, prætorium Cæsareum & arx amœna, de qua Kuchelb. l. c. pag. 805. &c. *Schwächet*, oppidulum, Marcktflecken, & monasterium Capucinorum, 2. mill. Vienna distans.

Ad

Ad viam copiose crescunt Solanum vulgare baccis luteis, Chamæpytis, Marrubium album inodorum & Horminum foliis Salviæ.

Per pagum *Rauchewart*, *Wiener-Herberge*, ad quem fluvius cito properans, die Fischer / terminum Regni Hungarici & Archiducatus Austriæ ducit, devenimus *Reiffenbachium*, à fluvio Reiffenbach, qui istum locum pertransit, dictum; hæc aqua isto mense tam alta & rapida facta, pontes destruxit, ita ut navigio ex trabibus connexis & sine fabrica compactus facto flumen dictum trajicere coacti fuerimus.

Per *Seiffersdorffium*, *Brockersdorffium*, quem pagum fluvius Leiter, qui æque, ac præcedens, ripas transgressus, alluit, ad oppidulum & monasterium monti adhærens, *Loretto* dictum, pervenimus. Monachi vocantur Servitæ, quasi servi Mariæ Hic loci primum sal gemmæ Hungaricum offendimus, quilibet rusticus duos lapides rotundos molares, quibus sal in farinam molit, in domo sua habet; sunt &, qui tantum in mortario cum pistillo id contundunt.

Ex hoc loco ulterius progressi sumus, milliaris spatio, per montes & sylvas usque ad oppidulum parvum, sed pulchrum, & castellum *Eysenstadt*. In hac sylva læte proveniunt Cornus, Ebulus, Juniperus, Halicacabus f. Alkekengi baccis rubris; per totum montem conchæ albæ, cochleæ, corallia & alia marina cum testis suis petrifacta in lapidibus nobis obvia sunt facta; ipso mœnia, monasterium Lauretanum cingentia, istis petrifactis undique sunt referta.

Dicta arx, quæ in singulo angulo turrim habet, quadrata est; habitat in ista nunc temporis Princeps

 vidua

vidua de Esterhasi. Hæc familia de Esterhasi est quædam ex ditissimis, potentissimis & antiquissimis totius Regni Hungariæ, & traditur, stemma suum, uti Ducum de Croye, ordine non interrupto, quod ad originem suam, à patre omnium gentium, Adamo, usque ad nostra tempora posse deducere. Ante castellum omnium Hungariæ Regum icones a capite, cum thorace, ad usque abdomen, Brust-Bilder, in lapidem incisi sunt. Sub introitu testa testudinis eximia & extraordinariæ magnitudinis, nec non duo ingentia gigantum, uti perhibentur, ossa suspensa hærent; revera autem sunt Elephantum ossa, qualia E. Brown in Itinerar p. 166 etiam in propugnaculo Schinda observavit. In aula arcis duæ aquilæ vivæ aluntur.

Oppidulum duo habet monasteria 1) Franciscanorum & 2) virginum religiosarum; in priori purgatorium pictum erat, cum inscriptione:

O ihr Christen thut bedencken,
Und ein heilig Almosen schencken.

it imago St. Johannis de Alvernia, qui, cum quinque Christi vulnera pro pauperibus animis devote coleret, tantum istarum numerum ex purgatorio liberavit, ita ut ingentes cochortes, scintillarum instar ex magno igne repleto furno, ex isto in cœlum ascendere observaverit.

Mons Calvariæ sumtibus Principis Esterhasi ædificatus, omnium in tota Hungaria pretiosissimus & elegantissimus; figura magna ex ære illum optime præsentat. Miracula perpetura, si fides habenda, in hoc fiunt, in specie cœci recipiunt visum & claudi deambulant. Chronosticha in hoc sequentia sunt:

CorDa

CorDa DeVota fVfCIpe DeVs.

* * *

DeLineatIo MontIs CaLVarIæ In HVngarIa:
CIrCa EIfenftadIVM Ita fItVaI:
FabrICa fVnDatIonIs PrInCIpVM EfterhafI:
CVM VarIIs æDIfICIIs:
In CVprVM reDVCta:
GLorIofæ DeIparæ VIrgInIs MarIæ LoCVs:
VaLDe MIraCVLofVs:
QVIa IaM IbI CæCI VIDent:
CLaVDIqVe aMbVLant:
SIC aLIa pLVrIMa proDIgIa fIVnt:

* * *

MarIæ feDVLVs CVLtor:
PaVLVs hoC MoDo pLantaVIt:
MIChaeL Vero ftabILIter æDIfICaVIt:
DeCenter CVM eXpenfIs:
OptIMI patrIs DILeCtVs fILIVs:
DeIparæ VIrgInI aCCeptIffIMVs:
Cooperante qVoqVe Conforte Margarita.

Defana:
DeVota beatIffIMæ
VIrgInIs anCILLa.

Proftat & hic imago (ein Gnadenbild) Mariæ cum puerulo in finiftro bracchio; finguli, mater & filius, diademate coronati funt; Virgo deipara fceptrum in dextra manu, puerulus avem in finiftra tenet; fciagra-

 phiam

phiam istius coloribus in charta pergamena pictam nobiscum in Germaniam attulimus. Porro adest pulcherrima S. S. Trinitati dicata columna, Heil. Dreyfaltigkeits-Seule; in qua literis deauratis sequentia verba legenda:

Ewiges Gelübd
oder
Ehren-Seule,

Welche von einer Königl. Freystadt Eissenstadt um Abwendung der leidigen Pest der allerheiligsten Dreyfaltigkeit und gekrönt. Himmels Königin Mariæ, auch heil. Sebastiano, Rocho, *Rosoliæ*, *Cajetano*, Francisco Xaverio zu hohen Ehren allhier verlobt und aufgerichtet worden; GOTT erhöre gegenwärtiger Stadt dieses ihr gethanes Gelübde, und lasse sie von diesem Ubel von nun an befreyet leben; geschehen im Jahr 1713. den 5. Sept. an WelChen Tag Die Pest ZVM ersten, GOTT gebe Letztens bey Vns eingerissen.

In primo latere: Heiliger Antoni, bey dein lieben Kind, Zur Pest Zeit allen Hülffe sind.

In secundo: O heiliger Carole, mit der Bitt, Stets Eysenstadt vor Pest behüt.

In tertio: O heiliger Ignati, bitt deinen liebsten GOtt Daß er uns nicht straff des Jähen Todt.

Imaginem *S. Rosaliæ* virginis, crucifixum Dominum nostrum manibus tenentis, possidemus, in qua legitur:

„Crucem Domini semper in mente, in ore, in signis „fovete. Crux enim domini armatura vestra, invi- „cta

„&a contra Sathanam, galea custodiens caput, lorica „protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, „gladius iniquitatem, & Angelicas insidias perversæ „potestatis sibi propinquare, nullo modo sinens. S. „Martialis.

Amor Crucifixi.

Pro avertenda peste. IV. Septembr

„ROSALIA, à fundo gentilitio, qui Rosa dicebatur, quod men„sibus illic singulis vernent rosæ, nomen sortita, ex Prin„cipe patre, Panormi in Sicilia nata, Caroli M. de stirpe, & Sici„liæ Regum propinqua sanguine, nobilissimis ob formam jam „destinata nuptiis, palatia, opes, honores, splendorem generis, „omnesque mundi illecebras, quas tanti ambiunt, fastidiens, „ad obvium profugit speluncam, illic illi fontana pro nectare: „herbæ & radices præ condimentis, preces præ Musica, je juni„um & asperrima saxa præ plumis & lectulo: nec viror arborum, „flores pratorum, saltares fontes, syderum flammæ recreabant, „cum solius crucifixi aspectu, & amplexu se oblectaret. Angelis „doctoribus decurrebat Marianas salutes, quas Rosarium vocant, „quod et bullam mortua in pectore suspensum retinuit. Moti„entum cum Matre DEI filius, cumque Angelis Apostolorum prin„cipes adfuère, celestésque genii, ut paranymphi, sponsam RO„SALIAM, contexto de rosis serto, coronatam deduxère ad di„vinum Sponsum Sic dudum vixit, à mundo deserta, cœli ha„bitatrix ROSALIÆ anima; at corpus rosis coronatum, in cru„cifixi amplexu, Anno Christi M.DC XXV. crystallina in tumba „repertum, sive illam paravère Angeli, sive quadringentis an„nis superfusa aqua in cristallum artifice natura induruit, claré „tamen nobis exhibuit ROSALIAM, inter Divos contra pestem „in Sicilia sospitatores, patronam. Tu quod tumulo ejus inscri„ptum legis *Amore Domini mei*, tibi scriptum crede, & fac „omnia amore Domini tui, ut æternum floreas

„*Ferrarius & Simon Martinus in vita.*

S. Ca-

S. Cajetani, Conf. imagine quoque gaudemus, in qua legitur:

A Lumine lumen.

„Quidquid laboras, ad hoc laboras, ut videas. Nescio, „quid magnum est, quod visuri sumus, quando tota merces „nostra visio est. Ergo para, unde videas, quod amas, ante- „quam videas. Aug. in Psal 90.

Desiderium cœlestis patriæ.
Pro curatoribus animarum. VII. August.

„Clericorum Regularium hic Fundator est, ab utero jam Ba- „mæ Virgini devotus: præcox ei virtus, etiamnum puero, „Sancti nomen peperit, quod, ne evanesceret, ab Aula Ponti- „ficia, ad quam ob doctrinam adscitus erat, exijt, honores de- „clinans, structisque suo ære nosocomiis, ægrotantibus, etiam „peste infectis, indefessa charitate inservit; ut inde animarum „venator audiret. Ordini suo rigidam paupertatis legem fixit, „ut sine redditibus essent semper, nec Eleemosynam peterent, sed „unâ in DEVM fiduciâ nixi, eo solo viverent, quod divina pro- „videntia illis, per pias animas, ultro tribueret. In se tantùm „non crudelis, totas noctes pervigil, corpus flagris lacerabat, „octonis quotidie horis inter lachrymas precatus, sæpe in ex- „tasin rapiebatur, & Romæ quidem parvulum JESVM specta- „bilem, in explicabili mentis solatio, ex Matris Divinæ ulnis, „in sui excepit brachia Captâ urbe, verbera, tormenta, carce- „res pertulit, mœrore tandem, qui ex multiplicatis seditiosæ „plebe DEI offensis, animam ejus lacerabat, fuit consumptus. „Ne poli crebris & in vita & post mortem miraculis celebris, & „contra pestem Patronus, inter Sanctos Anno M. DC. LXXI. à „Clemente X. relatus *Brev Rom.*

Eysenstadio relicto, per pagum *Zigendorff*, cujus incolæ omnes sunt Cravati linguæ Germanicæ nec verbulum intelligentes, die 31 Oct. *Sempronium Oedenburg*, quia ab Imperatore Carolo M. & Henrico III. de- vastatum

vastatum & incultum redditum, Orde gemacht / dictum vindemiarum tempore ingressi sumus. Urbs a Sempronio, Romano, exstructa dicitur, hinc *Sempronium* vel *Sopronium* dicta, parva quidem est, sed spatiosa habet suburbia & septies oppido majora. Tria monasteria adsunt: 1) Soc. Jesu. 2) Dominicanor. & 3) Franciscanorum. Major pars incolarum Evangelio addicta est, licet Romanæ religionis gens quinque urbis templa, & Lutherani tantum domum precariam, ein Beth-Hauß possideant. Duobus tantum locis in tota Hungaria Evangelici ædem suam sacram in urbe habent, nempe hic loci & Schemnizii, in omnibus reliquis locis extra urbium mœnia est exstructa. Senatus ex viris Evangelicæ fidei dogmatibus addictis & Romano-Catholicis mixtus est.

In cœmeterio, Evangelicorum cadaveribus destinato, est lapis sepulchralis Dom. de Rentsch, supremi militum ducis, qui in Transylvania in duello è vita discessit. Hic vivus præceptum dederat, cor ei mortuo ex thorace exenterare, istud Sempronium portare, & in arca sepulchrali super corpus carissimæ suæ conjugis, quæ hic loci sepulta, ponere, quod etiam factum, dum balsamis conditum, a supremis quibusdam officialibus Sempronium apportatum, & solenni conductione in arcam sepulchralem, denuo suffossam & apertam, positum fuit. Sic in hac tumba bina corda & unum cadaver terræ mandata sunt, cum inscriptione a viro docto hac occasione facta:

Viator
Lege, Cuge
Duorum cordium
In uno corpore, in uno pectore

 Corda

Corda inveniis, chordæ consonantes
Tam in vita, quam post vitam, consonantia
Cor
JOHANNIS JACOBI DE RENTSCH
Chiliarchæ equitum dum viveret, maxime strenui
Nominis RENTSCHIANI Fosculi unici
Atque ultimi
Vere JOHANNIS, & JACOBI nomina gerens
Vt qui filius tonitrui
Hostium tonitru
Inimicorum oppressor
Adversariorum calcitor
Cujus cor contra minas, & machinas mortalium
Semper intrepidum stetit
Eheu! mortalis esse desiit
Sed altius indaga
Adspice, circumspice, perspice
Tumulum hunc,
Et in eo contumulatum
Cor, corpusque
MARIAE MAGDALENAE DE RENTSCH
Quam Lucina fecit
De HAUFFIA
Matronæ & Pietate, & Virtute, & Eruditione eximiæ
Forma lectissimæ
Conjugis fidelissimæ
Quæ olim mater duarum filiarum
Nunc est filia matris omnium hominum
Nempe terræ
Vsque ad lætum resurrectionis diem
Vbi expectat vocem:
Sursum corda!
Sursum corpora!
Interim tute quiesce
Biga cordium conjunctissima
Et tu Viator
Abi.

Gymna

Gymnaſii Evangelici Rectorem, Dom. *Deckart*, virum probum & doctum, qui ſcientiam botanicam in deliciis habet & iſtam optime callet, ſalutavimus, cum quo *Croisbachium*, oppidulum ad lacum Piſonis, ½ mill. Sempronio diſtans, ad Cardinalem Saxo-Zizenſem, qui in hoc egregiam novam cum viridario habet arcem, pertinens, profecti ſumus. Hic locus magnas & optimas habet lapicidinas, in quibus conchæ bivalves albæ ſtriatæ & alatæ, admodum magnæ, cum teſta; vid Ep. It. XI fig. VIII. X XII XIII. it. Ep. It XXXII Tab. I. fig. VIII, Oſtreæ. vid Ep. It. XI. fig. IX. XI cochleæ, varia corállia & alia marina petrifacta, interdum Gioſſopetræ, quarum vero præſentes nullum ſpecimen invenire potuerimus, effodiuntur. paucis retro annis integrum humanum ſceleton petrifactum in his repertum fuit, quod vero inſcii latomi, quod dolendum, inſtrumentis ſuis ferreis male conquaſſarunt. Omni opera adhibita de hoc fruſtulum oſſis accepimus, figuram iſtius vide Ep. It. XI. fig. I.

Plantæ in hoc itinere nobis obviam factæ, ſequentes fuerunt: Veronica, Viburnum, Pannonicum, Galega, Labruſca Virgilii, vulgo wilde Wein-Beeren, ſponte in altum in fruticetis creſcit, fructus ſunt baccæ parvæ nigræ, quas, vix ſemimaturas, aves ſtatim rapiunt. Stramonium, Alkekengi, Oſtea, Cynosbaton, Cerinthe fl. min. Berberis, Cornus, Carduus capitulo elegantiſſimo, Dipſacus capitulo Scabioſæ, Helianthemum, Blattaria fl. purpureo ſ. rubro, Senecion, Campanula fl. maj. Ruta-muraria, tres Gallarum ſpecies, Populus foliis ſubtus albis, Rubus, Digitalis fl. luteo, Scabioſæ aliquot ſpecies, Pulſatilla, Sorbus torminalis, Elaſtes, Clematis ſepium, Cannabis ſylveſtris, Cacubalus ſ. Alſine baccifera.

La-

Lacus Pisonis s. Neosidlensis, Einsiebler-See, Hungar. *Fertő*, cujus supra mentionem fecimus, est septem milliaria longus & tria latus; aqua admodum nitrosa; in variis locis ad hunc lacum integra plaustra salis petræ, quod pecoribus lambendum offertur, effodiuntur. Olim piscibus dives erat, jam vero per plures annos rarissimi ex eo captura prehensi sunt, & isti præterea oculos habuerunt corrosos, qui aquarum salsarum acredini & corrosivitati tribuuntur; in littoribus hujus lacus avis Urocrutalus, der Vielfraß, habitat; aquarum fluctus interdum varias cochleas parvas in terram protrudunt.

Ad hunc lacum optimæ notæ vineæ sunt, & vinum Soproniense generosissimum in montibus, Orientem spectantibus, prope hunc lacum, provenit. Conf. Joh. Pet. Komaroni diss. de vino Hungarico Soproniensi, quæ Basileæ 1715. 4t. prodiit, §. VII IX p. 7. 8. it. Math. Belii Prodrom. Hist. Hungar. Novantiquæ. p. 155. qui simul errores, quos Komaroni in allegata diss. commisit, correxit. Lacus aquas suas in nullum inde prodeuntem fluvium effundit, incrementum autem & decrementum majoris aut minoris uvarum quantitatis indicium præbet. Pagus *Wolffs*, ad lacum situs, fontem & balneum sulphureum habet, cujus aqua sulphur. redolet & sapit. vid. plura de hoc lacu apud Kuchelbeck l. c. p. 812.

Eodem die Sempronium pedem retulimus, proxime ad urbem, in quodam colliculo, latomias visitavimus, & in his stratum quoddam cochlearum parvarum, elegantiss. alborum, cavorum, pelluculatarum & petrifactarum, sed admodum fragilium, offendimus. vid. fig. VII Ep. II. XI.

Plura in sequenti epistola. Vale & fave.
Wolffenb. 1734.

❧) o (❧

